

possunt eodem jure hæc vendere, seu permutare, cum sibi opportunum fuerit, quin censeantur commercium agere, sicut possunt emere et vendere bona alia mobilia. Si vero hæc in eum finem emant ut revendant majori pretio, ut fit in commercio chirographorum, et in negotiatione censuum, transgrediuntur leges canonicas; id enim in communi existimatione reputatur commercium: « L'achat des rentes sur l'État ou autres effets « publics, lorsqu'il a été fait en vue de spéculer par la revente, « est rangé parmi les actes de commerce, *ait jurisperitus* « *magnæ auctoritatis*. Telle est la jurisprudence de la Cour de « cassation. » (Pardessus, *Cours de droit commercial*, tom. I, n° 10.)

356. — IV^o *Utrum liceat clericis negotiari per interpositam personam?*

Constitutiones Clementis XIII et Benedicti XIV, omne dubium sustulerunt, definiendo « clericos vane et temerario putare quod « effugiant peccatum coram Deo, et violationem canonum, dum « per interpositam personam negotiantur. »

Non licet proinde clericis negotiari per alium, etiamsi laicus interpositus suo proprio nomine operetur, si reipsa sit simplex mandatarius clerici; esset enim negotiatio palliata.

Nec etiam licet societatem commercialem cum laicis inire. Si quis autem pecuniam apud mercatorem collocet, fructum fixum vel indeterminatum pro vario exitu commercii recepturus, non reputatur negotiari, modo tamen absteineat ab omni gestione rerum in commercio positarum.

Dubium est circa emptionem *actionum* societatum commercialium, v. g. viarum ferratarum. Actiones non sunt confundendæ cum *obligationibus*, de quibus supra. « L'action, *ait* « Pardessus, est une portion indivise dans la propriété de tout « ce qui compose le fonds social... Une action n'est pas la même « chose qu'une créance contre la Société. » (*Droit commercial* t. IV, p. 92, 93. Qui proinde *actiones* emit, fit coproprietarius fundi socialis, particeps lucri et damni societatis, et

si res stricto jure consideretur, dici posset illum negotiari per interpositas personas quibus gestio societatis committitur. In communi tamen opinione, et juxta mores hodiernos, aliter judicatur: actionarii non reputantur negotiatores. Quamobrem probabile est clericos non peccare contra legem canonicam, qui actiones emunt, aut retinent, licet censeamus multum satius fore abstinere.

Qui jure hæreditario obtinent institutum commerciale, tenentur, quamprimum moraliter possunt, illud alteri tradere et interea per mandatarium gerere res commercii, et licentiam ad hoc postulare a S. Congregatione si intra Italiam morentur; ab Ordinario loci si versentur extra Italiam, quemadmodum præscripsit Benedictus XIV in Const. *Apostolicæ servitutis*, § 2.

ARTICULUS IV. — DE JURIBUS, DE PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS CLERICORUM¹.

357. — I^o *Quæ sint jura clericorum in ordine ecclesiastico?*

1^o Clerici jus habent gestandi vestem sui ordinis propriam, quo jure privari non possunt nisi per sententiam Episcopi in pœnam delicti.

2^o Idonei sunt assequendis officiis spiritualibus et beneficiis, et exercitio jurisdictionis sibi demandatæ, quod laicis non conceditur.

3^o Partem sublimiorem tenent in Ecclesia dum sacris officiis publicis, processionibus, etc., assistunt, et laicos, cujuscumque dignitatis prærogativa donatos, præcedunt. Inter ipsos autem servatur regula præcedentiæ jure communi, aut locorum consuetudinibus, statuta. Regula generalis est ut præcedentia de-

¹ Tit. DE FORO COMPETENTI, lib. II Decret.; — DE IMMUNITATE ECCLESiarUM, lib. III. — Cf. Suarez, *Defensio fidei*, lib. IV, de Immunitatibus Eccl.; — Bellarminum, de Clericis, cap. XXVIII-XXX; — Muzzarelli, des Immunités; — Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*. Introduction.

terminetur ratione dignitatis, officii, beneficii et ordinis; utque cæteris paribus inter æquales attendatur promotio ad dignitatem, canonicatum, rectoriam, beneficium, ordinem sacrum. Juxta decisiones S. Congregationis rituum, beneficium etiam simplex confert jus præcedentiæ in presbyteros ordinatione antiquiores; inter simplices sacerdotes hi præcedunt qui prius ordinati sunt, nulla habita ratione prioritatis in ordine diaconali, vel subdiaconali; neque etiam habita ratione oneris coadjuvandi parochum, præterquam in functionibus in quibus capellanus supplet vices parochi. Doctoratus nullam præcedentiam confert in processionibus, congregationibus, et sacris functionibus peragendis; quapropter sacerdotes doctores præcedere non debent cæteris sacerdotibus, in sacerdotio antiquioribus, non graduatis. (22 jan. 1678; 13 aug. 1701; 12 sept. 1705.)

Hinc sequeretur inter presbyteros alicui ecclesiæ adscriptos rationem non haberi prioritatis in adscriptione, sed prioritatis in ordinatione, si neuter ex illis habeat aliquod beneficium, seu alium titulum perpetuum, quod etiam ita responsum fuit a S. Cong. die 25 nov. 1675. Verum « difficile est, in hac materia « præcedentiæ, certam regulam definire, ait Benedictus XIV; « cum potissimum inhærendum sit consuetudini, quæ pro loco- « rum diversitate diversa est. » (*De Synodo*, lib. III, cap. x, n° 9.) Catalani citat graves doctores quibus et ipse assentitur, qui eodem sensu tenent « esse regulam generalem in hac præceden- « tiæ, seu præminentiarum materia, ut totum faciat consue- « tudo et possessio, etiamsi juris dispositioni adversetur. » (*Commentarium in Cæremoniale Episcoporum*, lib. II, cap. xxxiii, § 5.)

358. — *Quæ fuerint olim privilegia et immunitates clericorum in ordine civili?*

I. Clerici fuerunt olim exempti in ordine civili ab oneribus personalibus status civilis, v. s. a militia et officiis municipiorum, et gaudebant *privilegio fori*; id est, non poterant conveniri a

judicibus laicis, sed judici ecclesiastico solummodo subdebantur, nisi forsani ipsi contra laicos agerent in causa mere sæculari, quo in casu applicabatur axioma *Actor sequitur forum rei*. Eximebantur ab obligatione legum civilium, eo saltem sensu quod non possent a iudice sæculari compelli ad observationem legum, tametsi jure naturali deberent ob bonum publicum obtemperare legibus, sicut alii cives.

II. Clericis data fuit insuper exemptio realis ab omnibus oneribus, tributis, vectigalibus a laica potestate impositis; quapropter ipsa bona patrimonialia clericorum immunita censebantur a tributis. Cap. *Clericis laicos*, 5, DE IMMUNIT. ECCLES., in VI°, Cap. *Quanquam*, 4, DE CENSIBUS, in VI°. Const. Urbani VIII *Romanus Pontifex*, §§ 6, 7 (an 1644)⁴. Rationem hujus immunitatis deducunt canonistæ ab exemptione personali clericorum; ex eo enim quod exempti supponantur a jurisdictione sæcularis potestatis, consequens est, inquirunt, ut non teneantur tributa præstare ex suis bonis.

Excipiunt tamen 1° onera imposita rei datæ in feudum; 2° onera bonis etiam non feudalibus imposita in prima fundatione; 3° onera quæ annexa erant bonis antequam hæc bona ad viros ecclesiasticos devenirent. Ratio in aperto est: in uno casu res donatur sub conditione justa; in altero bona erant jam onere gravata; ergo, cum pactis standum sit, cum alias nemo valeat plus juris in alium transferre quam ipse habet, sequitur clericos obligatos esse ad subeunda hæc onera.

359. — II° *Quæ fuerint origo et fundamentum immunitatis clericorum?*

Non parvi refert indagare originem immunitatum status clericalis, ut vindicetur auctoritas Ecclesiæ in iis quæ ipsius juris sunt, ac simul explicentur causæ conflictuum qui sæpe inter utramque potestatem orti sunt.

Omnes doctores catholici sentiunt clericos eximi jure

⁴ Cf. Reiffenstuel, in tit. XLIX, lib. III, n° 242 — Schmalzgrueber, *ibid.*, n° 28; — Devoti, lib. I, tit. I, § 8; — Suarez, *Defensio fidei; de Immunit.*

divino e jurisdictione sæculari, in iis quæ sunt ordinis spiritualis et sacri ministeri; at ubi de immunitate quoad ordinem rerum temporalium quæstio venit, non una est omnium sententia. Alii immunitates clericorum a jure divino repetunt; alii a jure canonico, scilicet ab auctoritate Ecclesiæ, alii a concessionibus principum sæcularium.

360. — 1^a Opinio, quæ immunitates status clericalis repetit a jure divino, fulcitur auctoritate Scripturarum, ipsa antiquitate immunitatum, et declarationibus, tum conciliorum, tum SS. Pontificum.

1^o *Auctoritate scripturarum.* Christus dixit ad Petrum: « Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: « Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare et mitte hamum; et eum piscem qui primus ascenderit, tolle et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me, et te. » S. Matth., cap. xvii, 24-26. Exinde plures deducunt clerum, in persona Petri repræsentatum, liberum esse ab obligatione solvendi tributa.

2^o *Antiquitate immunitatum.* Quando traditio est constans et perpetua, ait Suarez, ostendere solet jus divinum, præsertim quando non apparet ratio illam tribuendi institutioni apostolicæ. Talis autem videtur traditio exemptionis clericorum: est adeo antiqua ut nullum illius agnoscat initium; nam pro temporum opportunitate semper servata est, præcipue vero temporibus imperatorum conversionem ad fidem christianam secutis. Sub imperatoribus paganis non potuit quidem executioni mandari respectu magistratum infidelium qui Ecclesiæ non parebant; jus autem Ecclesiæ non deficit, cujus signum est quod prælati ecclesiastici hoc jus observare fecerunt inter ipsos fideles, quantum fieri poterat. (*Defensio fidei*, lib. IV, cap. viii.)

3^o *Declarationibus SS. Pontificum et Conciliorum.* Bonifacius VIII dixit: « Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res

« ipsarum, non solum jure humano, quinimo divino, a sæcularium personarum exactionibus sunt immunes. » Cap. *Quanquam*, 4, DE CENSIBUS. Leo X promulgavit in concilio Lateranensi Const. *Supremæ dispensationis*, in qua legitur: « Cum a jure tam divino quam humano laicis nulla potestas in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes constitutiones... in favorem libertatis ecclesiasticæ. » Tandem, ut cætera omittamus, concilium Tridentinum his verbis hortatur principes: « Confidimus eos ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ restitui esse concessuros, nec permissuros ut officiales, aut inferiores magistratus, Ecclesiæ aut personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione* et canonicis sanctionibus constitutam, violent. » Sess. xxv, cap. xx.

4^o *Ratione theologica.* Episcopi per Spiritum sanctum constituti sunt rectores Ecclesiarum, ac rerum et personarum ad eas pertinentium iudices; atqui, inquit, maxime repugnat quominus qui divina ordinatione constituuntur iudices fidelium, ab iisdem judicentur, pastores ab ovibus. Non minor aderit inordinatio ac rerum confusio, si duplex potestas diversi ordinis, mundana et spiritualis, concurrat in idem objectum, de iisdem personis et rebus judicet... Ergo dicendum est immunitatem clericorum jure divino inniti. Ita Suarez, Barbosa, Fagnan, Engel, Reiffenstuel, qui hanc sententiam multis argumentis propugnat, in tit. *de Foro competenti*, § 9.

361. — II^a opinio, quæ scilicet repetit immunitatem a jure canonico, duplici potissimum ratione fundatur, auctoritate canonum, et jure divinitus insito potestati ecclesiasticæ.

1^o *Auctoritate canonum.* Multæ sunt canonicæ sanctiones quibus Ecclesia statuit atque communivit privilegia immunitatesque clericorum, inflicto anathemate in omnes etiam reges et imperatores qui hujusmodi immunitatibus derogare, qui hæc jura perturbare præsumerent. Nonnullos textus mox proferebamus in explanatione primæ opinionis; alios plures reperies in

Decretalibus, et in decreto Gratiani, dist. xvi, et caus. xi. q. 1. Porro, si Ecclesia non potuisset jure sibi proprio statuere de immunitate clericorum a foro sæculari, hæc decreta non protulisset, nec in principes animadvertisset. Qua enim ratione tentasset pœnis plectere imperatores ob violatas immunitates, si ab iisdem principibus privilegium earundem immunitatum obtinisset?

2^o *Ratione theologica.* Præterea, Ecclesia habet quidquid necessarium est ad tuendum honorem, dignitatem et libertatem ordinis clericalis, prout ratio temporum permiserit: atqui immunitates clericorum maxime conducunt ad dignitatem ordinis clericalis et libertatem sacri ministerii. Valde refert ad bonum regimen Ecclesiæ, ait Covarruvias, « quod ministri Ecclesiæ non « se implicent negotiis sæcularibus, cum non possent commode « vacare ministerio divino, si trahi possint et conveniri apud « judices sæculares. Ergo utile quidem est, denique necessarium « ad liberius et rectius ministrandum Ecclesiis, quod clerici et « eorum res sint a iudicibus sæcularibus immunes. » (*Practicarum quæstionum*, cap. xxxi.) Hæc fusius evolere minime necesse est; omnes siquidem norunt quantum detrimenti apud vulgares homines patiatur clerus, et exinde ipsamet religio, ex traductione clericorum ad tribunalia sæcularia.

3^o Theologi secundæ opinioni addicti exinde concludunt Ecclesiam potuisse jure sibi proprio inducere disciplinam immunitatum, nec tamen volunt eandem disciplinam dici jure divino constitutam, quia non arbitratur peremptoria esse argumenta prioris sententiæ.

Ad textum S. Matthæi respondent Christum, quatenus filium Dei naturalem, liberum fuisse ab onere solvendi tributa, cum sit filius summi omnium regis; non eadem vero immunitate donari filios Dei adoptivos quales sunt, non solum clerici, sed et omnes christiani. Illustriores theologi, duce S. Thoma, textum allatum interpretantur de sola persona Christi, et ad summum de iis qui vitam perfectiorem amplexi, statum pau-

pertatis elegerunt, nec consequenter habent res temporales quibus obligentur ad solvenda tributa, nequiquam vero de clericis. (S. Thomas, in II lib. Sent., dist. xlv, art. II. — Dom. Soto, in IV Sent., dist. xxv, art. II.)

Ad textus decretalium et conciliorum, quibus dicitur clericos jure divino, ordinatione Dei, exemptos esse a jurisdictione sæculari, respondent clericos eximi quidem jure divino in omnibus causis ordinis supernaturalis; quoad vero alias causas, maxime consonum fuisse ordini providentiali ut eximerentur, quo liberius vacent sacro ministerio, et major reverentia ipsis præstetur. Id procul dubio sufficit, inquit, ut dici potuerit exemptionem clericorum esse jure divino, seu divina ordinatione sancitam. « Frequenter dicitur, ait Covarruvias, « aliquid jure divino statutum ex eo quod a veteri lege divina « aut alia Veteris Testamenti auctoritate originem duxerit. Atque « ideo cum aliquot in locis Veteris Testamenti constet sacerdo- « tes ex principum privilegiis exemptos fuisse a tributis, fit sane « ut apud pontificias sanctiones scriptum sit hanc exemptionem « jure divino, aut lege divina inductam fuisse, præsertim quia « plerumque jus divinum dicitur quod in vetustissimis Ecclesiæ « conciliis ad imaginem et imitationem Veteris Testamenti fuerit « statutum. » (Loco citato.) Ipse Bellarminus non aliter rem intellexisse videtur; cum enim asseruerit exemptionem clericorum in rebus politicis, tum quoad personas, tum quoad bona, introductam esse jure humano pariter et divino, hæc notat: « Observandum est nos per jus divinum non intelligere præcep- « tum Dei proprie dictum quod exstet expresse in sacris lit- « teris; sed quod ab exemplis vel testimoniis Testamenti Veteris, « vel Novi, per quamdam similitudinem deduci possit, atque « hinc fortasse conciliari poterunt theologorum et jurisperito- « rum sententiæ... » Item, quando refert easdem exemptiones ad jus naturale, animadvertit agi de præceptis juris naturalis, « quæ deducuntur quidem ex principiis juris naturæ, sed per « consequentiam non absolute necessariam, nec omnino evi-

« dentem, et ideo egent humana constitutione. » (Bellarminus, *de Clericis*, cap. XXVIII et XXIX.)

Ad argumentum e ratione depromptum reponunt nullatenus repugnare eandem personam superiorem esse in uno ordine et in altero inferiorem; clericum scilicet subdi potestati sæculari quatenus civem, dum non alium iudicem agnoscat præter Episcopum quatenus est clericus. Eadem ratione ipsi reges christiani obnoxii sunt jurisdictioni pastorum in causis supernaturalibus, et præcellunt in causis regiminis rerum temporalium. Hæc sunt consecraria distinctionis duplicis societatis. Si difficultates occurrant in praxi et conflictus exinde quandoque oriantur, id provenit ex humana infirmitate, nec est ratio sufficiens asserendi clericos eximi jure divino a potestate sæculari principis.

Ita Dom. Soto, Schmalzgrueber, Wiestner, Gonzalez et alii plures; adeo ut juxta Suarez *duæ opiniones contradictoriæ*, I^a scilicet et II^a, *sint valde communes apud catholicos* (Suarez, *Defensio fidei*, lib. IV, cap. VIII, n^o 1 et 9); et Gonzalez sic concludat: « Dicendum cum communi interpretum exemptio-
« nem hanc vere esse juris positivi; sed quia valde conformis
« est juri divino, juri^{ca} etiam divini dici et lato modo ad jus
« divinum spectare potest. » (In tit. DE IMMUNITATE ECCLESIA-
RUM, XLIX, cap. IV, n^o 8.)

362. — III^a opinio, quæ tenet immunitatem clericorum in rebus temporalibus ortum habuisse a concessionibus principum, fundatur in doctrina veterum interpretum Scripturarum, origine historica immunitatum, et jure naturali.

I^o *Principio generali de auctoritate principis sæcularis*. Doctores priorum sæculorum qui commentati sunt verba S. Pauli: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, aut qui disseruerunt de officiis christianorum erga magistratus, dixerunt omnes Christifideles, clericis minime exceptis, subesse auctoritati principis sæcularis in iis quæ ad ordinem temporalem referuntur, et obligari legibus civilibus.

« Beatus Apostolus, ait S. Joannes Chrysostomus, ostendens hoc
« omnibus imperari sacerdotibus et monachis, non sæcularibus
« tantum, hoc ab exordio declarat dicens: *Omnis anima po-
« testatibus sublimioribus subdita sit*. Etsi apostolus sit, etsi
« evangelista, aut propheta, etsi quisvis alius; neque enim hæc
« subjectio pietatem subvertit. » S. Gelasius, in Epistola ad
Anastasium, dixit: « Quantum pertinet ad ordinem publicæ
« disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna disposi-
« tione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis
« Antistites¹. »

2^o *Origine historica immunitatum*. Primum documentum certum disciplinæ de immunitate reperitur in rescripto Constantini ad Anulinum proconsulem Africæ, an. 313, in quo nimirum imperator clericos eximit ab oneribus publicis, ne deducantur a suis officiis erga Deum, sed liberius se devoveant divino ministerio. Hanc legislationem paulisper deinde immutatam Justinianus redegit in suo Codice, ut eadem per omnes partes imperii servaretur. Clerici et Monachi coram iudice ecclesiastico se sistebant in causis civilibus et coram iudice sæculari in casu appellationis; in causis vero criminalibus res ad tribunal ecclesiasticum vel ad sæculare deferelatur, pro arbitrio actoris. Episcopi, in quacumque causa, ad solum tribunal ecclesiasticum venire compellebantur, quod fuit ea ætate privilegium ipsis peculiare. Subsequentibus sæculis magis adhuc extensæ fuerunt immunitates apud plerasque gentes catholicas; ac tandem res eo devenerunt ut quisvis clericus omnino subduceretur iudici sæculari, exceptis quibusdam causis fori mixti, et causis feudalibus². Hæc initia, vicissitudines et progressus

¹ Labbe, tom. IV, col. 1182. Eadem reperiuntur in litteris Papæ Symmachi, ad Anast. *ibid.* col. 1298. Vide Epistolam S. Gregorii Magni, lib. III, Ep. 65, alias 62. Item Ep. Gregorii II ad Leonem. Labbe, t. VII, col. 18 et 26.

² Thomassin, tom. III, lib. I, *de Immunitatibus personarum et terrarum Ecclesiæ*, cap. XXXIII-XLVIII. — Codex Theodosii, lib. XVI. *Novellæ* 51, 45, 85, 86, 125, 151. Codex Justiniani, lib. I, tit. IV, *de Episcopali Audientia*, — *Pouvoir du Pape au moyen âge*, pag. 171.

privilegiorum ordinis clericalis probant, juxta patronos tertiæ opinionis, immunitates clericorum, nec a jure divino, nec a jure canonico, sed a jure civili ortas esse.

3^o *Ratione, seu jure naturali.* Omnes ejusdem reipublicæ cives, seu incolæ regionis, quatenus sunt membra communitalis civilis, jure naturæ subduntur auctoritati publicæ, et Christus ab ea lege generali non exceptit clerum nisi in his quæ sunt ordinis supernaturalis : atqui Ecclesia non potest dissolvere vinculum istud subjectionis cum detrimento jurium Principum in temporalibus. « Jus positivum, ait Medina, non dissolvit obligationem naturalem aut divinam quæ præerat, sicut nec lex evangelica debita prius contracta tollit, sive sit debitum carnis, sive debitum pecuniarum, sive alterius obedientiæ... Ac proinde nec debitum subjectionis et obedientiæ, quam quis alteri certa lege speciali debet, tollitur eo ipso quod ordinem clericalem accipit, nisi majorum auctoritate interveniente... Videtur igitur in quæstione præsentis, imperatorum concessioem potius quam legis divinæ institutionem locum habere, etiamsi rationi consentaneum sit clericos in sortem Dei electos ab omni tributo laicis solvendo, simul et a potestate sæculari exemptos esse debere. » (Medina, *de Restitutione*, quæst. xv.)

Hæc opinio erat communissime recepta apud theologos scholæ Parisiensis, nec ab ea longe alieni videntur cæteri theologi, ut Albert, Pyghius (*de Hierarchia ecclesiastica*, lib. V, cap. vii), Molina (*de Justitia*, tract. ii, disput. xxxi, n^o 12), et alii, qui tenent clericos sub ditione principum infidelium degentes, subjectos esse, tam in causis civilibus quam in criminalibus, potestati sæculari, quia principes infideles non renuntiaverunt suo juri, et Ecclesia non habet potestatem in eosdem principes.

Ad objectas constitutiones quibus Ecclesia statuit de immunitatibus, edicendo pœnas contra ipsos principes qui jura clericis asserta violare præsumerent, patroni tertiæ opinionis respondent ita merito sancitum fuisse; siquidem præter quod

plures immunitates nituntur jure divino, aliæ quæ jure humano ac civili inductæ erant, partem efficiebant juris publici gentium catholicarum, cui fas non erat principibus pro suo arbitrio derogare.

365. — Expositis variis opinionibus quæ in scholis catholicis agitantur, quid sentiendum videatur de origine et fundamento immunitatum paucis dicemus.

1^o In his quæ vere et proprie spiritualia et ecclesiastica sunt, quæ scilicet directe referuntur ad ordinem clericalem, sacramenta, cultum divinum, observantias ecclesiasticas, quæstiones de doctrina fidei et disciplina canonica, clerici sunt jure divino exempti a potestate et jurisdictione principis sæcularis. Est de fide. Hanc immunitatem demonstrant argumenta primæ opinionis.

2^o Ecclesia potest, jure proprio, statuere immunitates a foro sæculari quas necessarias judicaverit ad dignitatem ordinis clericalis, et reverentiam sacro ministerio debitam. Accipit a Christo potestatem determinandi atque statuendi ea quæ requirit bonum regimen societatis christianæ : porro, præter jura quibus clerici divina ordinatione potiuntur in exercitio sui ministerii, aliæ sunt immunitates moraliter necessariae, v. g. : exemptio a militia, ab onere officiorum civilium, a servitutibus personalibus, et aliis hujusmodi quæ nec indoli, nec officiis status clericalis ullatenus conveniunt. Ergo Ecclesia de his proprio jure statuere potest, ac reipsa sæpius statuit, præcipiendo clericis ne se immisceant in professiones quæ suum statum dedecent, ne compareant coram judice sæculari cum detrimento sui ordinis, etc..., et ipsismet etiam magistratibus, si christiani essent, vetando sub comminatione censurarum, ne hæc a clericis requirerent. Id probant argumenta secundæ opinionis. Maximo tamen cum moderamine Ecclesia usa est hac potestate, habita ratione temporum, ut, quantum fieri poterat, sibi consentientes principes haberet, removereturque omnis occasio conflictuum.

5º Principes christiani sponte sua concesserunt clericis privilegia et immunitates quæ non erant ita necessaria ad libertatem sacri ministerii. Quemadmodum a pluribus oneribus eximebantur, privilegiisque in societate donabantur qui in bello, seu aliis negotiis fortiter gestis, de republica bene meriti erant; ita voluere, assentientibus populis, in signum grati animi, et ob majorem reverentiam ordini clericali exhibendam, viros ecclesiastico ministerio addictos pluribus privilegiis cohonestari. Hoc ultimum eruitur ex argumentis tertiæ opinionis.

Principes sæculares nequeunt derogare proprio nutu immunitatibus seu privilegiis quæ in favorem status clericalis Ecclesia statuit intra limites sui juris, nec iis etiam quæ ipsi in perpetuum concesserunt ordini clericali, quando jura hujusmodi mutuo consensu utriusque potestatis per concordata, aliosque actus similes, sancita sunt.

In primo casu vis injusta inferretur in jurisdictionem ecclesiasticam; in altero autem violaretur jus naturale et gentium quo reguntur pactiones consensu partium initæ; ea est enim conditio pactorum inter duas societates sicuti et contractuum inter privatos, ut immutari non debeant sine mutuo contrahentium assensu. Neminem quidem latet advenire quandoque talem immutationem in moribus et regimine societatis, ut necessarium sit veteribus institutis nova subrogare, novas proinde conventiones inire; Ecclesia harum necessitatum rationem habet, ultraque se paratam semper exhibuit ad ineundam viam qua cuncta meliori modo concilientur in bonum commune; at merito conqueritur de violato jure, si quid, ipsa non audita nec assentiente, immutetur in iis quæ concordata definierunt.

Idem dicendum arbitramur de privilegiis absque ulla restrictione in futurum concessis a Principe ordini clericali, et ab Ecclesia acceptatis; non potest illa retrahere, nisi forte talis mutatio in rebus publicis intercesserit, ut hæc privilegia nociva forent ordini societatis. Ratio est quod concessio facta, non gratuito et ad tempus, sed in testimonium gratitudinis, et in

remunerationem pro præstitis officiis, et in perpetuum, eidem societati confert jus cui derogare pro mero arbitrio nefas est¹.

Hæc dicta sufficiant de immunitatibus clericorum quæ successu temporum adeo limitatæ atque restrictæ fuerunt apud nos, non secus ac in plerisque aliis regionibus, ut vix aliqua supersint hodiedum vestigia veteris disciplinæ; clerici enim vectigalia pendunt, conveniuntur a iudice sæculari pro causis criminalibus et civilibus, ac pœnis plectuntur sicuti alii cæteri cives, si delicti contra leges patrias convicti sint. Si excipias militiæ et officiorum publicorum vacationem, solæ remanent, de facto, immunitates jure divino constitutæ: remanet tamen immotum jus insitum Ecclesiæ, atque pro ipsius Ecclesiæ sapientia et temporum opportunitate, exserendum.

¹ Suarez, lib. IV, cap. xxx, n^o 5-14. — Salon, *de Justitia et Jure*, quæst. lxxvii, art. 1, conclusio v^a.